

ætatem regiis virtutibus excultus , ita Michaelium est alloquutus , ut singularem prudentiam , atque expeditum ad res præclare gerendas ingenium ostenderet . Gratias Senatui agit ; summo se Rempublicam amore prosequi testatur ; iniquo licet fato patre sibi erepto , eamdem , quam ipse coluerat cum Venetis amicitiam , retenturum , neque ulla in re patri concessurum : quæ ad illius dignitatem , vel incrementum spectarent , uti præcipuum inter Reipublicæ amicos deceret , curaturum . Eodem officii genere cum Regina matre , quam atro vestitu , tenebricosis parietibus clausam cum filiis , regiisque sororibus invenit , Michaelius usus est : quæ paucis , intercisisque verbis par filio in Rempublicam studium significavit . Eodem tempore Marcus Antonius Amulius Gandavum pervenit , ac Philippo Reipublicæ nomine pacem est gratulatus ; quam licet ob inopportunum Henrici obitum plerique brevi convellendam arbitrarentur ; attamen constans adeo in ea servanda Philippus extitit ; nec minus Galli , vel ob Regis immaturam adhuc ætatem , vel ob novarum rerum semina , quæ jam tum in Gallia jactabantur , pro ea retinenda solicii fuere ; ut , affinitatis vinculo adjecto , pax inter gentes alioqui infensas diuturnior , ac sibi initio suaserant , futura videretur ; ex qua ille in primis fructus cunctorum votis expectabatur , ut religiosis diffidia , quibus per tot annos christiana respublica laceata , atque afflcta fuerat , tollerentur .

Vigebat sane vehemens christianorum Principum in id studium ; Paulusque in primis Pontifex Maximus pio in religionem animo nihil non effecturus videbatur , nisi affecta jam ætas , domesticæ curæ , atque nimius quidam impetus , quo acri , ac rigida severitate mortales deterrere potius , quam allicere censemebatur , offecissent . Nam cum ad eum multa de nepotum avaritia , ac libidine allata essent , quæ aliquamdiu vel timor , vel obsequium oppresserat , vehementer commotus , atque iracundiæ æstu impatiens , nunc familiae sobolem detestari ; nunc amicorum , atque eorum , quibus ipse se crediderat , fidem conqueri ; insciū , & immeritum omnium odium , atque invidiam subiisse . Statimque Carolum Caraffam Cardinalem , Paliani Ducem , Montisbelli Marchionem urbe expellit ; auctoritate , ac dignitatibus , quibus pontificatum gesserant , exuit ; sacrorum

Carolus  
Caraffa  
Card. &  
Paliani  
Dux a Pon-  
tifice Roma  
expulsi , &  
dignitati-  
bus exuti .